

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

videamus, tūm perpetiamur, tūm etiam ipsi perpetremus. Felices igitur verē, vereque beati, in DOMINO vitam qui posuere suam. Non hic vera quies, non gaudia vera parantur, Gaudia venturæ sola relīcta scholæ. A Philippo proximis diebus literas, 6. Junii datas accepi, ex quibus, ei benè esse, omniaque in illius oppidi Ecclesia & Schola vigere & florere intelligo. Utinam verō in vestræ Academiæ & Ecclesiæ luce potius, quām in Alpium Carinthiarum latebris, ingenium illius conspiceretur, & fructum Ecclesiæ DEI ac piis studiis ampliorem ferret. Quis D. Lorcherio Scholarcha isthic successerit, doceari cupio. L. Beutherum alium esse, quām se futurum ostendit, doleo, & DELIM, ut nos doceat & gubernet oро. Benè vale, 12. Novembris, qui est natalis Academiæ nostræ, anno 1419. primū in hanc urbem introductæ.

David Chyträus.

LXXXV.

*Salutem in Domino, & felix anni hujus auspiciū atque curriculū. Reverende  
atque doctissime Domine Doctor, amice & in Christo frater dilecte.*

Quid major est rabies Sathanæ & organorum ejus, atque minor copia recte sentientium & docentium, eo magis dolenda videtur Ecclesiæ & Academiæ nostræ fors adversa, qua paucarum septimanarum intervallo duobus præstantissimis Theologis orbata est. Quia verō eorum, qui adhuc sunt superstites, fides requirit, ut de aliis idoneis & fidelibus Doctoribus circumspiciant; haec tenus, ut debuimus, DEUM serio invocavimus, ut ipse nobis orthodoxos & pacis amantes collegas largiatur, ac semen aliquod sanctum relinquit, ne sicut Sodoma & Gomorrah siamus. Precibus subjunximus deliberationes ferias & fideles, in quibus ex re Scholæ nostræ futurum deprehendimus, si te, vir clarissime, ad societatem operarum nostrarum Theologica- rum unā cum aliis vocaremus. Etsi enim meritò dolemus vicem Academiæ Heidelbergensis, quæ vix dum à pientissimo Electore Ludoviço, sanctissimæ recordationis, reformatæ, mox à facione Sacramentariorum rursus vastata est: nobis tamen quoque gratulamur, quod in eum temporis articulum hæc mutatio incidit, quo nos eruditorum virorum penuria premimur, quò eorum aliquos ad nos attrahere possimus. Illustrissimus quoque Saxonie Elector, illam Senatus nostræ Academiæ sententiam & judicium de te approbavit, illique in mandatis dedit, ut authoritate publica legitimè te (ad enarrationem Prophetarum) vocaret, id quod hac vice per litteras publicas à nobis fit. Rogamus igitur omnes publico, in primis autem Ego privatim meo nomine, ne

Qq qq 2

hanc

hanc vocationem detrestes. Merito te permovere debet, Clementissima Elektoris nostri erga te voluntas, vota omnium Collegarum consentientia, loci celebritas, juvenum pietatem & bonas litteras discentium multitudo & copia, summa denique omnium de te concepta expectatio. Et nisi me animus meus fallat, ex proximis optimi fratri tui Dn. D. Erasmi litteris conjicere licuit, te si Heidelberga cedendum esset, facile permoveri posse, ut ad nos te conferas, ac capropter tanto ampliorem spem concipio fore, ut vocationi nostrae haud gravatum locum concedas. Ego meo loco amici & collegae fidelis & constantis officia tibi primitto, atque à te vicissim expecto: de reliquorum quoque benevolentia ne in minimo quidem dubitare debes. Ac licet salarium satis sit tenue & mediocre, spes tamen est, Illustrissimum Electorem honesta accessione illud aucturum. Ipsius enim Celsi, posteaquam fidem & industriam suorum exploravit, liberalitate extraordinaria abunde recompensat id, quod ad tempus defuisse videtur. Quam munificentiam Ego quoque prædicare possum, atque capropter tantò melius de futuro spero. Plura non addo, sed ea ad congressum nostrum, quem mihi ipse (favente Domino) certò persuasi, reservo. Rogo tamen, ut Reverendis viris, Dn. D. Pappo, & Dn. D. Erasmo fratri ex me salutem dicas, meaque ipsis officia commendes. Benè vale in Christo JESU, quem precor, ut universum hoc negotium ad sui nominis gloriam & Ecclesiæ ædificationem gubernet. Dabantur prid. Calend. Januarii, Anni 1585.

*T. ex animo*

*studiosiss.*

Polycarpus Leiser, D.



#### LXXVI.

*Salutem à Filio DEI, Reverende & clarissime vir,  
Comater honorande.*

IPse quoq; deploro vicem nostram, quod non licet amplius ita suaviter & amice tecum vivere ac conferre, sicut Heidelbergæ ferme per quinque annum factum est. Orbatus enim sum fideli amico, in cuius sinum curas meas & ægritudines effundere poteram. Sed ferendum est, quod mutari non potest. Non casu ita discreti sumus, sed certo consilio, & licet carni ingrata sit hæc dispersio, salutaris tamen est & erit Ecclesiæ; nullum enim malum Dominus permittit, unde non ingens aliquod bonum